

ILLVSTRISSIMO VIRO D. D.

CAROLO LE IAY

A SANCTIORIBVS REGIS CONSILIIS

LIBELLORVM SVPPLICVM MAGISTRO, BARONI DE TILLY,

MAISON ROVGE, ET SAINCT FARGEAV, DOMINO DE VILLIERS, ET LES SALLES.

P*ATRVO tuo*, vir illuſtriſſime, *principi viro placuiſſe non vltima laus eſt gentilium meorum, quos ille ſui obſeruantiſsimos in fidem acceperat; nunc vbi fato ceſſere, non ceſsit animus; amant nobilium animorum affectus in nepotibus reuiuiſcere, vigetque auitorum officiorum ſancta conſuetudo. Eam quidem tu*, vir illuſtriſsime, *conſtanter & ſplendide expreſsiſti tua in me munificentia, mihi vero ſemper fuit in procliui æternum tibi polliceri obſequium, in votis præſtare, iucundiſsimum teſtificari hoc qualicumque munere quod tuo nomini inſcripſi & nuncupaui. At quamquam me tuis non incitaſſes beneficiis, nec officioſam te colendi neceſsitatem impoſuiſſet perpetuum veneranda magnanimi patrui memoria, tot ſeſe ore tuo ferunt & emicant virtutum ſpecies, is ardor tuæ mentis ad excelſa natæ, & tam diligens veritatis aſſerendæ cura, vt beatus ab omnibus prædiceris, & digniſsimus quem inclytus heros ſibi filium adoptaret, & ille quidem non poterat auguſtiore monumento ſui nominis memoriam apud poſteros conſecrare, quando te non tam opum quam virtutum hæredem præſtitiſti: hoc tibi proprium decus, hæc vera laus, cuius acceſsione tanti viri poſt funera fœlicitatem imples.*

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS X. MARTII.

M. GEORGIO IOVDOVYN, Doctore Medico, Moderatore.

931.

Eſtne Quadrageſimali tempore Carnium & ouorum eſus inſalubris?

SOL obliquo & recto potius aſpectu quam diſtantiâ, licet illo minus quam variis ventorum flatibus, tempeſtates quatuor inter ſe diſtinguit: illarum cõmutatione vniuerſum mundum ſublunarem moderatur, elementorum moles integras vt humores auget, minuit, idioſyncraſias conſtituit, euertit, immutat; imo ſingulorum functiones dirigit, vt nec attollere plantam pedis poſſimus, ope τῶ θείω deſtituti, cum ſit ὁμαδῶ naturalis & vniuerſalium cauſarum concurſus, è quibus immediata eſt aër; à quo bona vel mala omnia nobis emergunt, vna omnium penè morborum cauſa, quos ſporadicis deteriores eſſe conſtat, afficitque vehementius quam alimenta. Et niſi natura communis propriis operibus proſpiciens ad vitæ commoda congruenti lege τῆς ὑγιείας vteretur, breui perirent viuentia ſacris tempeſtatum viribus; quas quidem plantæ præſidiis inſitis infringunt, æſtate quippe ramis & proli conſulunt luxurianti frondium coma, trunco refrigerium conciliant radices, quæ per hyemem mutata vice totius calorem fouent. Eadem natura brutis animalibus ſuggerit pabuli materiam ſingulis tempeſtatibus accommodatam; ποηφάγοις teneras & molles herbas æſtate, marcidas & duriores hyeme, carniuoris recentes humenteſque fœtus animalium æſtate; nec eadem gratia σπερμολογοῖς, vel vlli denegatur, quæ ſibi præterea cauent operimentorum, locorumque mutatione.

CVIQVE virtuti ſua vitia opponuntur, præſtantiori plura, deteriora; homo vnus, omnibus omnium perfectionum numeris abſolutiſſimus, in ſummo & exili ſingularum apice poſitus, pluribus, & grauioribus iniuriis eſt opportunus, quas nulla inter cauſas euidentes neceſſarias aëre potentius infligit. Sed cum in hominum genus potiſſimumque in muliebrem ſexum imperij ſummum ius exerceat, his natura conſultum voluit dum rationis proprium munus conceſſit, vt variis artibus ſibi prouiderent, & victus lege contraria tempeſtatum vires infringerent, qualis inſtituitur æſtate dum calor natiuus eſt infirmior, ex cibis paucioribus, frigidis humidis, aluum ſubducentibus, & plurimo potu, diluto tamen vino potius quam aqua, velut in bilioſis, febricitantibus, & thoracis affectibus vexatis, niſi capiti cauere velis aut tromati. Vires hyemis contraria ratione edomandæ; & quæ iam ſalubria ſunt διαιτήματα, contraria tempeſtate morboſa ſunt, ſalubritas & inſalubritas ἐν τῷ πρός τι ſitæ, abſolutè ſalubre nihil, aut inſalubre.

VERE nouo calor redit oſſibus, leuconotis dominantibus viget ſanguis ὑπό τε τῦ ὀμβρου καὶ τῦ θερμημερίου quorum tepore concreta diffunduntur è penetralibus, ac veluti quadam phlogωſi vaſa diſtenduntur, vnde partes intumeſcunt & viuido colore florent, animalia ſeminis vbertate turgentia libidinis æſtro percelluntur, ſuccis exuperantibus omnia ſuperfluunt ad putredinem propenſa, & à corruptionibus quarum vt generationum feraciſſimum eſt propius abſunt: omnium denique mutationum, & ἀποκρίσεων crebritate, etiam terræ viſceribus altè recondita commouentur, nec minor aërem terramque impetus exagitat, quam maria fluxus & refluxus, ideo tunc abſtinere decet & aliquid cibo detrahere velut in perturbatione critica. Nouiſſimis decem diebus vnius tempeſtatis, & totidem primis alterius, quibus viget impetus viciſſitudinis, alimenta minuere iuuat, potiſſimum veris initio, quo propterea maxime congruunt, quæ paucum & temperatum ſanguinem minimúmque catullientem generant, meatus diducunt, & aperiunt, aluum laxant, illuuiem ſeroſam exhauriunt moderata ſiccitate, qualia ſunt hordeacea, fructus quidam, piſces, leguminum freſa p. cicerum, piſorum, &c.

NON oua, quæ ſunt animalis calidiſſimi ab æſtu & ſqualore vigentis κυήματα; in feruida præcordiorum ſede concepta, eiuſque ſanguine connutrita, ſeminis & alimenti vim continent, vt inſito ſibi calore tota mutentur in illud: ſunt valentis materiæ cibus, & paulo calidior, εὐαπαλότατα quanquam δυσμεταβλητα, ſalubria frigidis, cæteris inſalubria, etiam tremula, oleoſo pinguique diffluunt humore, magis cocta facile concreſcunt & indurantur; vnde corpore vehementer calefacto febrem fouent & accendunt, aluum ſtringunt, omnes occludunt meatus in bilem vitellinam mox abitura in calidis naturis, affectibus, tempeſtatibus. Non caro quæ humidiſſima & calidiſſima pars animalium calidiſſimorum, particulis conſtans diſſimillimis, ægrè coquenda turbas ventriculo mouet; ſucco plurimo etiam calido tenuique, corpori futura grauis, putredini, ac proinde bili creandæ peropportuno; vnde podagricis aduerſatur, arthriticis, procliuibus ad inſaniam, epilepticis & quocumque modo fluxioni obnoxiis; vix vnquam niſi hyeme ſalubris, in qua etiam operoſe eligitur vt ſit naturæ cuiuſque congrua, imminet errori pœna; deterius alit pleriſque frugibus quarum facilior electio, error emendabilis.

QVADRAGESIMALI tempore, quod ferè accidit ineunte vere, viget opportunitas ad ſimiles affectus, & peſſima quæque morborum genera, accedit inſuper carnium conditio longè deterior, & viroſa quædam qualitas, dum excrementorum luxurie cuncta ruunt acrius in venerem, neque mox editorum caro mucoſior, humidior, vtile edulium eſt, vnde qui ſeſe crebrius & lautius epulis illis iugurgitant ea tempeſtate breui grauiter afficiuntur: quin imo licet vis, & vernæ mutationis orgaſmus iam deferbuerit exacto paſca, quod altero menſe veris ſolet contingere, morborum tamen ilias incautos quoſque corripit ex intempeſtiuo carnium eſu, quibus abſtinentes frugaliori victu tutò vindicantur. Tunc è contra piſces coitu, geſtatione, frequentioribus & vehementioribus exercitiis, ſemeſtri maris refluxu fiunt ſe ipſis ſicciores, firmiores, ſalubriores: & vbertate mutuorum fœtuum quibus aluntur habitiores, quales ſunt è fluuiatilibus, perca, trutta, lucius; è marinis draco, merula, ſcarus, gobio, ſolea, mullus & alii plures; qui præparatione vt ſubſtantiâ, carnibus longè præſtantiores euadunt.

Ergo Quadrageſimali Tempore carnium & ouorum eſus inſalubris.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS TARDY Lingonenſis. A. R. S. H. M. DC. XLIV.